



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 131. Alvari Lunæ infelix exitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C. 1453.
incitarent, simulque Pontificem, ejusque Cardinales eodem die in æde D. Pauli sacra facturos caperent; hunc in finem etiam catenam auream paraverant, qua Pontificem vincirent, non quidem, ut mox neci darent, sed, ut inquiebant, tamdiu captum detinerent, donec ipsi arcem S. Angeli occupassent. Papa accepto conjurationis hujus nuncio, Porcarium Romæ quam diligentissime conquiri, atque ex quadam cista, cui sese incluserat, extractum comprehendi, confessumque ad mortem condemnari jussit, qui proin ad muros arcis S. Angeli suspensus est. Complices quoque partim in eadem, ubi conve-
nerant, domo, partim in præfata arce, partim in Capitolio idem supplicii genus subierunt, ex quibus unus Baptista Sciarra per medias Pontificis cohortes viam gladio sibi aperiens effugit, nec ultra unquam comprehendi valuit.

§. CXXXI.

Alvari Lunæ infelix exitus.

Marian. lib.
22. c. 12. & 13
Hoc eodem anno Alvarus Luna Joanni Castellæ Regi amicissimus meritas scelerum poenas dedit. Mariana hunc Virum describens ait: Fuit in eo ardens ingenium, aptus sermo, sed cum aculeo facetus, profunda calliditas, atque simulatio, audacia, superbia, & ambitio, ex quibus

quibus veluti, unaque ex fraudibus com-
 positus videbatur. His accessit aliorum
 vilipensio, & difficilis ipsum adeundi fa-
 cultas. Præterea adeo immoderatis ira-
 cundiæ motibus se abripi patiebatur,
 ut nulli suorum inimicorum unquam par-
 cere solitus esset. Ex quadraginta quin-
 que annis, quos in Aula duxit, per tri-
 ginta circiter summa, tantaque in omnes
 potestate usus est, ut cuncta ad ejus im-
 perium gererentur, adeo, ut ne vestes
 quidem Rex, aut famulos, aut aulæ mi-
 nisteria nisi ex ejus voluntate mutare pos-
 set. Paucis, nihil illi ad regnum præ-
 ter Regis nomen deerat, cum ceteroquin
 ad arbitrium suum omnes Regni urbes,
 & arces, aurique & argenti immensam
 vim, & profusa liberalitate sua omnium
 civium studia sibi devincta teneret. Haud
 equidem latebant Regem Alvari, quem
 in paucis carum habebat, vitia; sed nil
 contra movere audebat. Tandem vero
 indies crescente ejus fastu ad Regem
 deferebatur, eum in Regno bellorum in-
 cendia suscitasse, præterea aliorum spo-
 liis divitem se reddidisse, atque auro cor-
 ruptum obstitisse, ne Granatensis urbs
 Mauris eriperetur. Igitur horum crimi-
 num convictus, die quinta Aprilis in æ-
 dibus suis manu armata obsessus, securi-
 tate a Rege promissa nihil eum per inju-
 riam passurum, semetipsum tradidit.

Cum

Sæcul. XV.

A.C. 1453.

Sæcul. XV. Cum autem justitiæ leges promissi fidem
A.C. 1453. servare prohiberent, quinta Julii Valli-
 foleti sententia mortis in eum lata capite
 truncatus est, quod ubi amputatum fue-
 rat, hastæ infixum, corporis vero trun-
 cus tribus omnino diebus in ferali peg-
 mate expositus mansit, cui pelvis appo-
 nebatur, ut a fidelibus stips colligeretur,
 unde sepeliri posset; tristi prorsus tanti
 Viri fato, qui triginta annorum decursu
 tantas sibi divitias corrasit, ut paulo ante
 Regum ferme potentiam æquaret.

§. CXXXII.

*Ladislaus juvenis coronatus Rex
 Bohemice.*

Cochl. Hist. Labente eodem anno Ladislaus Juvenis
Huffit. l. II. tredecim circiter annos natus Bohe-
 miam petiit, ubi Pragæ summo honore
Dubrav. l. 29 exceptus, a Joanne Episcopo Olomucen-
 si, seu juxta alios, a Dionysio Cardinale,
 & Archiepiscopo Strigoniensi regni coro-
 nam accepit in festo SS. Apostolorum
 Simonis & Judæ die vigesima octava O-
 ctobris. Celebrabantur solemnia ritu
 Catholico, quamvis Podiebracius urbis
 Præfectus Hussitarum sectæ addictus es-
 set, & Rochisana horum hæreticorum
 princeps Archiepiscopalem sedem usur-
 paret, cujus tamen Rex juvenis nullam
 rationem habuit, nec unquam cum iis,
 qui